Witkiewic Joan. Alb: Flores veris Academici.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0014140


V
B
J
C
939

FLORES
VERIS ACADEMICI

IX. Ingenuis & magnæ Spei Iuuenibus

DVM

Primâ artiũ liber: & Phil: Laureâ

Ab Excellentiß: et Doctiß: Domino,

M. IOANNE NICOLAO GASIEWSKI,

Artium & Phil: Doct. Profess: Collegij Minoris,


In magna D. IAGELLONIS aula ornarétur

Opera & Studio

IOANNIS ALBERTI WITKIEWIC

eiusdem Laureę Candidati Distributi.

Anno Salutis nostræ 1648. Die 7 April.



CRACOVIÆ,

Apud Valerianum Piątkowski.

63.

In Arma Domus Oborscianæ.



Altis in gradibus quod sese lilia ponunt
Stirpis Oborscianæ dulcia vota notant.
Nempe Viris præclaræ stirpis, honoris
Impendunt Altos, perspicuosq; gradus.

Perillustri et Adm̄ Rn̄do Domino,

D. NICOLAO
DE OBORY
OBORSKI,
V. I. Doctori, Cathedralis Ecclesiæ Cracouien: Canonico, &c. &c.

Domino & Mecænati suo longè dignissimo.

TVis spectari oculis magnopere expetunt flores isti Veris Academici Perill: et Adm̄ Rn̄de D. Nimirū roris antelucani instar illis futurum est, si Tuo aspectu quasi Fauonio quidquid illis exangue est animaueris, quidquid incultum Tuo splendore ornaueris, quidquid immaturum est, perfectum exaggeratūq; Tua singulari in literas propensione reddideris. Et sanè nunquam Tui in Academiā nostrā amoris, et patrociny viximus egeni: quinimò Regni ista Schola eam facilitatem, affabilitatemq; defensionem etiam quoties opus est experitur Tuam, vt non in postremis Vitę Tuę negotijs, curam eorum quę ad ornandam Academiam hanc pertinent, reponere videaris. Duo certè benefica sydera scholę nostrę Tu et Patruus Tuus fuistis, Tuq; etiamnum feliciter es: quorum quidem ille cęlo iam, et beatę fixus ęternitati, Te Perill: et A. R. D. et fortunę suę, et sanctimonię et erga Academicam palęstram singula-

gula-

gularis beneuolentię hęredem ex asse reliquit: adeò Musis affectus nostris: vt parum se amoris illis impendisse existimaret, nisi post fata etiam sua, et è tumulo amorem hunc, erga studia Academica Te vno in loco sui relicto continuaret. Meritò igitur flores isti veris Academici Tuum gentilitium venerantur florē. Cùm enim illius odore, non Augustum tantum Magnorum Prę!atorum Capitulum Cracouiense, sed nostra quoq; schola Jagellonia recreetur, non poßum equidem non vehementer sperare, non nihil tanti boni etiam in pusillam hanc florum congeriem à Te posse deriuari. Qui enim hortum amat, et flores in illo enatos vt amet necesse est. Cape igitur Perill: et A. R. D. fronte serena, et animo, quo Academiam nostram complecteris flores istos in tutelam floris Tui (nescio si non importunè) sese ingerentes. Permitte literarium hoc (vt ita dicam) florum vulgus, ad radicem tui lilij consistere, illudq; quasi manipulum Ioseph in sublimi eminentem ex imo adorare. Permitte florem Tuum gentilitium nouem floribus Academicis, quasi nouem Musis, Apollinis instar esse: et deniq; si iuxta quendam è poetis sunt florū lilia Reges, *Tuo Regio flori nostris quos exhibemus vt stipatores sint permitte, et Viue valeque diutissimè. Datum è Contubernio Philosophorum.*

Perill. & Adm: Rndæ D. T.
Cliens deuotus
Ioannes Albertus Witkiewic
Primæ Laureæ Candidatus.

Ad Excellentissimum et Doctiss: Dnum,

ALBERTVM ŁANCVCKI,

Philosophicæ facultatis Decanum.

ODE TRICOLOS TETRASTROPH.

Quò Musa vanis concita passibus
Quò Dedaleis fulta volatibus
Hęc plectra defers? fabulosum
Pectine fortè sonabis ęuum?
Fors tu pauendum Dîis recines Mimam
Et comminatum et centimanum gregem,
Frustraque quassantes Olympum
Quercubus arietibusque Turmas.
Obliuiosis obruta seculis
Contaminatę bella puertię
Frustra peroratrice buxo
In superos cupis ire plausus.
Inuisa Diuis desine brachia
Tumensque pectus corque superbiâ
Ornare, sed sudore lotas
Sume Viri celebrare curas.
Viri, Decanum quem sua strenuum
Nouit facultas, nos quoque nouimus,
Et Aula Iagelloniana
Ingenium geniumque nouit.
Fors ęre fusum pectus ei stetit
Stetêre vires fors adamantinę,

Cum firmus inuictum Palestrę
Perciperet gremio laborem.
Et viue firmus non sine gaudio
Curas regustans, Pymplę Academicę
O gemma Iagellonianę
Verus honos columenque Spartę.
Talem precata est Alma parens sibi
Nasci DECANVM, quo grauidas super
Curas locaret vel labores
Quo super aut requiêsse poßet.
Talem precati nos sumus et Tui
Veri Clientes, quem veluti Patrem
Cum tertio nobis Catone
Syderibus Deus ipse misit.
Et si citatis Hermus adhuc aquis
Vndaret auro, credo quod aurifer
Non sic placeret vt Decanis
Talibus Alma parens placeret.
O ergo faustùm pro bene cognitis
Fusisqué nobis pro benè gratijs
Persiste LANCVCKI perennis.
Quod tibi iure precamur omnes.
Omnes precamur post tua dogmata,
Non indecoro puluere candidi,
Qui nunc nitemus gloriantes
De placida Viridiqué Lauro.

Ser-

FLORES
VV. DD. CANDIDATIS D. D.
V. D. STANISLAO KOTVLECKI.

Quânam ſerta tibi poſcis de fronde parari?
E lauro? Phæbo talia namq́; placent.
Rurſum qua cupias ornari quæro corona,
Laureolam rurſum Staneſilae cupis.
Sume precor roſeam, roſeus te nam pudor ornat,
Tu tamen ex lauro dicis habere volo.
Ergo tuo Capiti de lauro ponito ſertum,
Laurus enim magnis ſerta dat ingenijs.

V. D. IACOBO MOSCICKI.

Cùm tibi Moſcicki Pallas dat amæna Coronam,
Pallade cùm docta, cùmq́, dat Alma parens;
Altera non tribuat facundia docta Coronam,
Almæ ſufficiet Matris habere decus.
Cedat Apollinei Laurus gratiſſima montis,
Innumerę cedant hinc Heliconis opes.
Floribus his etenim ſemper tua florida virtus,
Non poterit cingi, non poteritq́; tegi. (hæc.
Pallas, Apollo, Camæna, quid hęc sũt? ſomnia ſunt
Alma parens quid adeſt? omnia ferre potens.

Immò iam viridi cinxit tuā tempora lauro,
Quam tibi nec Pallas reddere ficta potest.
Ergo dum verum Mater dat candida sertum,
Credo quòd est Pallas verior Alma Parens.
Vt tamen ex Helicone meo tibi serta parentur,
Ornent mite tuum lilia rubra caput.
Dignus es hoc serto, nam purpura pura pudoris,
Inque tuis verbis sessitat inque genis.

V. D. SEBASTIANO TORWINSKI.

Cana gelu & niuibus vix cessant arua rigere,
Et vix purpureo vere fugatur hyëms.
Optas Torwinski vt sertum tibi vertice ponām,
Vtq; tuas possim condecorare comas.
Sedula Musa rosas quærit quærensq; reposcit,
Sed nec quas quærit, quasq; reposcit habet.
Nam Deus ex astris, ipsis formosior astris,
Flore nigram nondum, condecorauit humū,
Quid faciat? dubitat, metuit, cunctatur & errat,
Per varios campos per variosq; locos.
Et cum fragrantem decerpere gestit odorem,
En citiùs violam cernit adesse sibi.
Ex hac Torwinski violà tibi præparo sertum,
Quæ post summa simul frigora cingit humū.

V. D. MARTINO KASZTVLINSKI.

Porrigit AlmaParens māſuram cum tibi laurum,
Munera ſumma tibi porrigit Alma parens
Illa tibi Kaſztulinski det munera ſumma,
Solus ſumma DEVS quę dare dona poteſt.
Vtq; meis etiam niteant tua tempora ſertis,
Hoc ſertum puro flore parare volo.
Qui ſcis verbenæ naturam, ſcis puto, quòd ſit
Et Ducis & Regis ſubdita ſerta Iouis.
Ex hac verbena verboſum ſumito ſertum.
Nam Tua dum fundis mellea verba, ſapis.

V. D. IOANNI TOMIECKI.

De noſtro dubitas nil dulcis amore Tomiecki,
De ſerto puro, nec dubitare potes.
Et ſic ſeu gemmas, pretioſos ſiue Smaragdos
Velles nobilius, ſeu quid habere, darem.
Nunc tibi pro viridi ſuccedant lilia ſerto
Pectore nam niueo mens tibi caſta nitet.
Cum ſis Ioannes & gratia grata Tonantis
Floſcule creſce ſolo, creſce future polo.

V. D. MATINO WYSZKOWSKI.

Nec te pæniteat calamo triuisse labellum;
O cor Wyskowski pars animæq́; meæ.
Nam quamuis tingat, maculosas penna tenebras,
In facieq́; notam collocet inq; genis,
In nitido pingit cerebro tamen illa nitorem
Quo tua perspicuè mens ratioq́; nitet.
Hinc dedit Alma Tibi durantē Academia laurum.
Vidit enim cerebro candida quæq́; tuo.
Vtq; meis habeas depromptum munus ab hortis,
Flecte caput serto dum tibi cingo caput.
Cingo caput serto viridi de flore parato,
Corpore, quæ nostro cruda venena fugat.
Cingo caput serto Rutę de flore parato,
Toxica quodq; fugat tuta vocanda magis.
Et quia tu nulli truculenta venena propinas,
Nec fel in ore tuo sed mel habere soles,
Dignus es hoc equidem felici flore virere,
Cui tua namq́; precor dicta vel acta nocent.

V. D. ALBERTO CZAPLINSKI.

Quo vis Czaplinski cingi tua tempora serto?
Nam mihi Pulegium, nam granadilus adest,
Viribus iste suis splendet bene, splendet & ille,
Nobilior multò sed granadilus adest.

Hoc in flore nitens ſpectatur lancea Chriſti,
Hoc in flore nitent ſpinea ſerta Dei.
Sic ego dum quæro, reſpondes ore modeſto, &
Oratore pios fundis ab ore ſonos.
Hunc ego ſi florem ſumpſiſſem, nō tamen illum
Contempſiſſe vnum credo viderer ego.
Ne quis contemptus grandi me crimine pungat,
Flecto caput quem tu vis mihi ferre, fero.
O virtus ô ſancta modeſtia, paſſio ſancta
Actio noſtra ſit hæc, ſis grandilus abhinc.
Cum granadilus eris Chriſti tormenta reguſtans,
Pro ſerto ſertum & flos tibi totus eris.

V. D. NICOLAO MILERSKI.

Si valor vnus adeſt, & adeſt non vltimus ille
His natura quibus contulit eſſe ſuum.
Si valor vnus adeſt, & adeſt tibi Saluia magnus,
Da te pro ſerto Saluia ſalua precor.
Gratus adeſt ipſa vel adeſt de voce Milerski;
Qui te pro ſerto poſcit adeſſe ſuo.
Huius in auguſto nitidiſſima vertice laurus
Ac velut auratâ vult habitâre domo.

Huius

Huius Palladiam cingas quoq; Saluia frontem,
Quem propriâ lauro contegit Alma parens.
Et cùm dilecti florens in fronte coruſcat,
Sum mihi dicit ego Saluia, at ille ſalus.

V. D. GREGORIO OCHABOWIC.

Ne te Pulegium videat contemnere, ne te
Nunc aliquo videat deſtituiſſe viro.
Ecce tibi iuuenem produco moribus aptum,
Vt non ſit iuuenis, vir ſed vt eſſe queat.
Vt non poſtremus decoretur floribus, aptum
Albis liliolis, purpureiſq́; roſis.
In quo pulegium verbenaq́; Rutaq́; vellet
Totus flos etiam vellet habere locum.
Floribus ex cunctis Ochabowi ſuſcipe ſertum
Omni virtutum nam Tibi vernat honos.

IOAN. TOMIECKI V. D. Ioãni WITKIEWIC occinit.

Cùm tua Witkiewic nitidiſſima munera donas
Cùmq́; tuã venam fundis in omne decus,
Cùm nos ex Conſi deſumptis floribus horto
Exornas, lauros lucida ſerta ferens,
Quod tibi pro tanto reddemus munere munus?
Hoc; BENEFACTORIS nobile nomen habe.



Οὐρανὸς ἄστρα τάχιον ἀποσβέσει ἢ τάχα νύκτοι
Ἠέλιῳ τὲ φαιδρὴν σφὶν ἀπεργάσεται.
καὶ γλυκὺ νᾶμα θάλασσα βροτοῖς ἀρέσιμον ἐστὶ
Ἕνεκυς εἰς ζωῶν χῶρον ἀναδράμεται
ἢ ποτὲ τῆς μεγάλης ἀναλοῖτ' εὐκλεια προφιμῆς
ἢ τὸ σταυρὸν ἔχει χρύσεα σῆμβολ' ἔχει.

Felicianus Bodesteyn
Artium & Phil: Baccalau.

